

Albrecht Joachim Krakevitz von

**Albertus Joachim. von Krakevitz/ S. S. Th. D. ... hodieqve Academiæ Pro-Rector,
Ad Funeris Exeqvias, Qvas Viro ... Domino Johanni Georg. Wetken/ Senatori
Civitatis Rostochiensis Gravissimo ... Vidua Relicta Moestissima hodie paratas
cupit, O. O. O. Cives Academicos Officiose atqve peramanter convocat & invitat**

Rostochii: Literis Joh. Wepplingi[i], [1716?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1799347214>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Protokoll-Programme,
unser Freundes in dortigen bürgerl. Familien burs.

(Zinsin und in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann
ü. Or.]

82 Stücke

Mk1b Gen - 40
2/3 II

9/1
Hain.
1833.





1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Elsabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Pansen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Pohn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoepffer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Töppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zaidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.



ALBERTUS JOACHIM. von Grafeviß/

S.S.Th.D. & P.P. Serenissimi Duc. Mecklenb. Reg.
Consil. Consistor. Distr. Mecklenb. Superint.
FCtatis suæ Senior & Decanus,

hodièqve

ACADEMIÆ PRO-RECTOR,

AD
FUNERIS EXEQVIAS,

QVAS

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, ac Prudentissimo;

DOMINO

JOHANNI GEORG.

M S S R S S /

Senatori Civitatis Rostochiensis Gravissimo,
de publica illius re præstantissimè promerito,

VIDUA RELICTA MOESTISSIMA

hodiè paratas cupit,

O. O. O. Cives Academicos

Officiolè atqve peramanter
convocat & invitat.

ROSTOCHII,
Literis JOH. WERLINGI, SER. PR. & ACAD. Typogta



Un in navi vectores at-
que navarchi; sic in Republicâ necessa-
rii sunt, præter Principem, Magistratus,
*sine quorum, ut ait Cicero, prudentia ac di-
ligentia civitas esse non potest, quorum de-
scriptione omnis reipublica moderatio conti-
netur.* Nec certè major contingere pot-
est Reipublicæ felicitas, quam si virtu-
tibus instructos & sapientia polientes Viros sibi præpositos
habet: ut è contrario non major ipsi timenda clades est, quam
si sub improbo ac imprudente Magistratu laborat. Quæ pro-
pter in electione personarum, queis aliqua curarum in salu-
tem Reipublicæ suscipiendarum pars committenda est, sum-
mam, adhiberi debere cautionem ac circumspeditionem, ne-
minem inficias iturum aut dubitaturum esse, velut certissi-
mum persuasum mihi habeo. Ut enim personæ sunt Ma-
gistratum gerentes, sic publicam rem geri oportet. Opor-
tet itaque, qui Publici administratione admoventur, multo-
rum curæ ac gubernationi accommodi sint. Quare non
fortuito, non gratiâ, sed consulto, ex idoneis, virtute præ-
stantibus ac sapientiam prudentiamque sufficientem possiden-
tibus eorummet lectio fieri debet. Jam olim, ut apud Ci-
ceronem invenio, lex duodecim Tabularum iussit: *Senatorius
ordo vitio careat, ceteris specimen sit; nec veniat quidem in eum
ordinem quisquam vitii particeps.* Felicem igitur, terque
quaterque felicem Civitatem eam, cui contingit de tali Magi-
stratu sibi gratulari! Contra, non minima infelicitatis pars
judicanda Civitati est, quando DEUS ab illâ Viros pruden-
tes, consilio graves, iudices justitiæ tenaces, Senatores vir-
tute coruscantes, immaturâ morte auferret: sicut ipse populo
judaico quondam, multiformibus ipsorum peccatis ad vindic-
tam provocatus, ceu pœnam comminabatur per Esaiam Pro-
phetam Cap. III. 1. 1. *Ecce enim Dominator, Dominus exerci-
tuum auferet à Jerusalem & Juda vigorem & vim - - iudicem - -
& honorabilem vultu, & consiliariam, & sapientem de architectis,
& prudentem eloquio.* Quæ quidem omnia uberius meditan-
di ac fufius deducendi nobis occasionem daret hodiernum
funus, apparatus Viro Senatoriæ dignitatis, cui hoc curæ
semper cordique fuit, ut hanc suam provinciam prudenter
gereret, ac strenuè candideque ornaret, ita ut abs nemine
nunc ejus obitus sine dolore exaudiatur: at nec temporis brevi-
tas, nec, quæ nos alia circumstant, negotiorum multitudo
plura nunc temporis permittunt. Hinc properandum ad id
nobis erit, cujus gratia hæc scribenda erant, ut piè nunc De-
functi, Nobilissimi quondam, Amplissimi ac Prudentissimi,
Dn.

DN. JOHANNIS GEORGII WETKENII, Senatoris Ci-
 vitatis hujus Gravissimi optimèqve meriti, curriculum vitæ,
 quod summâ sui cum laude in hac mortalitate peregit, illius in
 memoriam describamus, descriptum posteritati commendemus,
 siquidem in eo inveniet, quod imitandum sibi proponat. In-
 gressus hanc vitam est Vir Beatus hac ipsâ in urbe, *Anno supra*
millesimum sexcentesium sexagesimo secundo, d. 8. mensis Augusti,
 nocte jam ad meridiem inclinante, abs Parentibus atque Majo-
 ribus Consulari, Senatoriâ & Patritiâ dignitate, apud Hambur-
 genes præcipue atque Rostochienses, præfulgentibus inclytis-
 que procreatus. *Patrem* nactus fuit Virum eruditionis famâ pru-
 dentiaque laude maximè conspicuum, Nobiliss. atq; Ampliss.
 DN. HERMANNUM Wetken / Senatorem inde ab A. MDCXLIX.
 atque Camerarium de Civitatis hujus bono & publicâ re lon-
 gè meritisimum, cujus notabilem ex mundo abitum, utpote
 qui ipsi natali suo pariter atque nominali die, nimirum unde-
 cimo mensis Augusti, contigerat, jam ante dimidiam seculi par-
 tem, anno scilicet MDCLXVI. Curia Civesq; luxerunt. *Matrem*
 osculatus fuit Laudatissimam inter nos Matronam, Nobilissi-
 mam ac pietati cum omnibus sexus muliebris virtutibus ad-
 dictissimam, MARGARETHAM Schönlowen / cui Anno
 hujus seculi septimo inchoante, quâ erga illam erat filiali pi-
 etate, solus ex undecim fratribus sororibusqve superstes, non
 sine animi mœrore ultima justa exsolvit. *Avum* in lineâ pater-
 nâ laudavit Nobiliss. Ampliss. ac Prudentiss. Virum, DN. JO-
 HANNEM Wetken / florentissimæ Hamburgensium Rei-
 publicæ Quindecim-Virum primùm, deinde & Senatorem Gra-
 visimum, ante jam, quam Noster, ipse nepos, progna-
 tus esset, anno videlicet 1643. vitâ functum. *Aviam* verò â
 pietate ceterisque virtutibus commendatissimam Matronam,
 SOPHIAM von Peine. *Proavus*, mediante Avo, ipsi contigerat
 Vir Magnus, Præ-Nobiliss. & Prudentiss. DN. JOHANNES
 Wetken / quæm Hamburgum initio quidem ab Anno 1605. Se-
 natorem, deinde ab Anno 1614. Consulem suum, at per bien-
 nium duntaxat, nam Anno 1616. morte hinc avocabatur, salu-
 tavit ac veneratum est. *Proavia* verò, vivum tunc muliebris
 virtutis atqve decori exemplum, Matrona præstantissima,
 MARGARETHA Fuchsen / Viri Pl. Rev. Præ-Nobiliss. ac Con-
 sultiss. DN. CHILIANI Fuchsen / J. U. D. ut & Rev. Capituli
 Hamburg. Canonici, Filia. Mediante Aviâ verò *Proavum*
 habuit Virum Præstantiss. atqve Egregium, GEORGIUM von
 Peine / Civem primarium Hamburgi & Mercatorem florentis-
 simum dextrimumque; & per eum *Proaviam*, Fœminam
 Optimam, CATHARINAM Garmers / ex florentissima
 inter Hamburgenses GARMERORUM, patricia familiâ ortum
 trahens

trahens, nata Prudentiss. Nobilissimoque DN. JOHANNI Garmers/ Senatori Hamburgensi optimè promerito. Præterea in linea superiori memorandi sunt *Abavus*, Præ-Nobiliss. Ampliss. ac Prudentiss. DN. HERMANNUS Wetten/ qui magnifica Consulari dignitate apud Hamburgenses ultra trigessimum annum gavissus fuit, utpote Anno 1564. lectus & An. 1595. denatus. Cujus uxor, nostri B. Senatoris *Abavia*, Matriona honestissima magnisque dotibus ornata, ELISABETHA Scharffen/ Filia Viri Pl. Rev. Consultiss. atque Ampliss. DN. VITI Scharffen/ Jurium D. & Canonici Hamburgensis. Ut & *Atavus*, Magnif. Consultiss. ac Prudentiss. DN. JOHANNES Wetten/ qui primum quidem Secretarii Senatus munus, at eâ cum dexteritate sustinuit, ut non multo post in ipsum Senatum cooptatus fuerit, tandemque An. 1528. Consul creatus, Vir ad diem usque emortualem, qui An. 1538 ipsi contigit, de publicâ Hamburgensium re in univ. & speciatim de repurgatâ inter illos à Pontificiarum corruptelarum sordibus Ecclesiâ immortaliter meritis. Cujus extat elogium in Epitaphiis Ritzenbergianis *Vol. 1. Memoriar. Hamburg.* abs meritissimo Gymnasii Hamb. P. P. & Polyhistore Celeberrimo, D. JO. ALB. FABRITIO collectarum p. 102.

Conditus hic fruitur requie WEDEKINUS
honestus,

Qui vigilans patria Consul in urbe fuit.

Hancq; velut natam pater est complexus amore;

Unica quæ soboles curaque sola foret.

Corporis atque animi vires sub mole laborum

Illius impendit pro meliore statu.

Viribus ingenii pretiosas addidit artes,

In quibus haud leviter, sed benè doctus erat.

Virtutes dotesque DEUS cumularat in illo,

Quas inter pietas extulit alta caput.

Huic quod habes jovis urbs, divini pabula verbi,

Acceptum meritò grata referre potes.

Ex tam prælustri atque de bono publico præclarissimè meritâ Profapiâ, quod lineam paternam spectat, cui plures, qui suam Hamburgo officia publica præstiterunt, ceu ex Indice Prosopographico abs laudato DN. D. FABRITIO *Volumini II. Memor. Hamb.* annexo videre est, innexi fuerunt, oriundus fuit
B. WET.

B. WETKENIUS. Nec minori fulgore lucet genus illius maternum. *Avum* quippe heic nactus fuit Virum Præ-Nobiliss: Ampliss. ac Consultiss. DN. ALBERTUM Schönlow / J. U. D. & Caesarum Patronum Celeberrimum. *Aviam* verò, Fœminam Præ-Nobiliss. ac muliebris decori ornatu præfulgentem, MARGARETHAM Gusebehren. *Proavos* autem numeravit, in *priori linea*, Virum Spectatiss. ac Honestiss. ALBERTUM Schönlow / Civem quondam Paderbornensem Primarium; & per eum *Proaviam*, Fœminam Virtuofissimam, ANNAM Meiers. In *Linea posteriori*, Virum Nobiliss. Ampliss. & Prudentiss. DN. HENRICUM Gusebehr / Rostochiensium Senatorem ac Camerarium complures per annos longè meritissimum; perque illum *Proaviam*, Matronam honestissimam, ANNAM Nettelbladen. Et hac interveniente, Beatus Noster quoque laudavit & *Abavum*, HENRICUM, & *Avium*, CARSTEN, & *Tritavum*, JACOBUM NETTELBLADIOS, successivè omnes Senatoriâ in hac urbe dignitate quondam fulgentes, suisque pro ejus salute curis egregiè de illâ meritos.

A tot igitur præstantissimis Viris cum suam WETKENIUS originem traxisset, in eo semper fuit, ut ne illorum in ipso gloria obscuraretur, quin Majorum vestigia sequutus, ut partam ab illis laudem conservaret, in Familia sua propagandam, omnibus ingenii animique viribus semper allaborareprehensus fuit. Et hæc optima illius indoles inde à teneris, ut ajunt, unguiculis in ipso emicuit, ut non nisi egregia de ipso concipi spes posset. Quin & Progenitores ipsius omnem in id curam impendere, omnem adhibere operam non destiterunt, quo dignus aliquando Parentibus ac Avis maximorum in genus humanum meritorum laude inclytis filius atque progenies evaderet. Non autem nescientes, sine cœlesti benedictione omnem, quantacunque fuerit, in teneros animos formandos impensam sollicitudinem frustraneam esse, ante omnia curarunt, Filiolum recens natum, quem ex carnali generatione non nisi filium iræ esse haud ignorabant, DEO conciliari, ut per Baptismum ei oblatum jura filiorum DEI adipisceretur, sicque de assistentia Sanctissimi Spiritus atque regimine redderetur certus. Hinc & feliciter successit, quando, statim ac ætas permisit, prima pietatis ipsi fundamenta instillare ceperunt, quippe quæ altas in eo radices egerant, ut nec vanitas hujus mundi, nec calamitas ulla convellere valuerint, sicuti non infucata pietatis laus ab universa hac urbe ipsi tributa fuit. Ut autem & cruci ferendæ maturè assuefieret, Numen Altissimum, cujus sine providentia nihil contingit humana-

B rum

rum rerum., cum quartum vix ac ne vix quidem compleisset
ætatis annum , Genitore orbatum eum voluit , quo spem su-
am atque fiduciam in DEUM , sapientissimum ac benignissimum
omnium Patrem , ponere vel infans doceretur. Interim su-
perstes Genitrix , quâ erat prudentiâ proque conveniente suæ
prolis educatione sollicitudine , tempestivè ipsum optimorum ,
quos nancisci poterat , privatorum Præceptorum , JOHAN-
NIS OSTERMEYERI , postea Doctoris jurium axiomate ornati,
JOH. HOLSTEINII , JOH. FEUSTKINGII , & JOH. HENR. Stock-
dieck / institutioni ac ductui successivè commisit , sub quibus ita in
Latinitatis studio profecerat , ut ad alia cum fructu transire posset.
Ne tamen nimis juvenis , id quod multorum Studiis non tam emo-
lumento , quam detrimento est , Academicam ingrederetur vitam ,
traditus est ulterius informandus Viro ad instruendam pubem
scholasticam apto nato , de Schola Civitatis hujus , cui tunc Rector
præerat , præclare merito , nunc B. DN. M. JOH. JUSTO MOH-
RIO , qui eum non humaniora solum , sed & Philosophiæ fun-
damenta in Logicis , Metaphysicis , Physicis , nec non Morali ,
quoad Ethicam atque Politicam , sedulo docuit fideliterque .
Sic verò ad graviora benè præparatus , Anno 1680. Rectore
tum Academiæ nostræ Magnifico , Jcto immortalis memoriæ ,
DN. D. GEORG. RADOVIO , P. P. & Statuum Provinciæ hujus
Syndico Gravissimo , postmodum Primario Lib. Imp. Lubecæ
Syndico , Capituli Lubec. Præposito , Scholarcha & Consist.
Præside , in Studiosorum recipi numerum petiit , renovatâ
matriculâ , cui jam ante octennium abs ea tempestate Rectore
Summè Rev. & Excellentiss. DN. M. HERMANNO BECKE-
RO , ad ædem Jacobæam Paft. ut & Mathem. Infer. P. P. de
Ecclesia pariter & Academia Rostochiensî optimè promerito ,
nomen ipsius , cum veterem depositionis ritum subeundo Musarum
sacris velut initiaretur , inscriptum fuerat . Ab eo tempore Ce-
leberrimorum in hac Academia Antecessorum Collegia eo cum
successu frequentavit , ut non pœnitendos ex illis perciperet fructus .
Cum primis ductum seqvebatur Consultissimi Viri , DN. D. JA-
COBI Sembcken / cui se & Academia & Civitas multum
debere fatentur , eoqve doctas Juris & æqui artes fideliter
instillante , eâ promptitudine excipiebat , ut non imbibisse , sed
exhaustisse , judicaretur . Minimè verò satis sibi ducebat , in patriâ
duntaxat Academiâ ingenium ad quævis capienda aptum ex-
ercere : ideoque , cum per biennium Præceptoribus heic suis
adsedisset , Gedanum navi per mare vectus excurrit , ubi præ-
stantissimos Viros ac eruditione celebres , quales iste locus
semper alere solet , convenit , ac quæ in ista urbe observatu
digna occurrebant , notavit , non tamen diutius ibi commora-
tus , quam propositum ejus permittere videbatur .

li namque discendi cupiditate flagrans, Regiomontum mox contendebat, in famigeratissimâ illic florente Academiâ Studia sua majorem ad gradum evecturus: quem in finem Celebrum Juris Doctorum, RUNGERI atque BOLTZII, Collegiis, quibus hic Pandectas, ille Jus Publicum explanabant, interesse statim ab adventu suo incepit. Quibus ad finem perductis, major eum peregrinandi cupiditas incessit, quâ ductus inseqvente An. 1683. perlustratis præcipuis Prussiæ locis reliquis, Dantiscanos iterum visitabat, tandemque in Daniam sese convertebat, ingressus primum Haffniam, Potentissimo Danorum Regi splendidissimam sedem præbentem. Ubi, quæ non oculis solum oblectamentum offerebant; sed &, quæ animum excolerent, inveniebat. Præcipuo sibi gaudio ducebat, quod multorum vario doctrinarum genere instructissimorum Virorum colloquiis frui sibi concessum esset, utpote ex quibus avidè hauriebat, quæ vel scientiam augere vel prudentiam possent. Illinc ad florentem eâ tempestate Sooræ in Seelandia Academiam Equestrem excurrerebat, ubi, favente fortunâ, in Regii Chiliarchæ, Generosiss. DN. de PREHN notitiam venit, qui dotes illius æstimans, ut Auditoris in suâ cohorte munus susciperet, ipsi persuadebat. Quam in speratò sibi oblatam functionem vel ideò non declinavit, quod intelligebat, eâ se occasionem experientiam majorem comparandi nancisci. Ac licet postea miles ille à Regia Majestate iterum dimitteretur, dimittere tamen eum nolebat, cum singularem illius favorem dexteritate suâ meruerat, laudatus Patronus ipse, quin ipsum secum retinuerit per aliquem temporis tractum. At ille otium pertæsus consilium Hafniam denuò adeundi inibat, ubi spes ipsi affulgebat non una stabilendi fortunam suam, sive militari in Statu, sive in Cancellaria Regia germanicæ expeditionis, utprimum aliquis locus vacaret, siquidem dotibus suis Virorum magnæ auctoritatis, Generosiss: atque Excellentiss. DN. de PLESSEN, Generalis Locum tenentis, ut & Præ - Nobiliss: Amplissimique DN. Brandten / supremi Quæstoris Regii, singularem sibi affectum conciliaverat ac patrociniū certissimum. Interea, ne tempus frustra transigere videretur, lubens pronusq; aggressus est oblatam spartam informandi ac gubernandi Filios Excellentiss. ac Per - Illustris Viri, DN. de SCHINDEL, Supremi Aulæ Regiæ Magistri, idque eò lubentius, quò plus accipiebat occasionis simul majorem in istis, quæ Virum præcipuè Politicum ornant pariter atque commendant, corporis exercitiis sibi comparandi habilitatem. Hoc quidem in statu diutius mansisset, exterisque omni benevolentia genere eum complexis sua præstitisset officia, nisi Supremus rerum nostrarum Modera-

tor eum in patriam revocatum voluisset, ut ei inserviret vicissim, cui & ortum & educationem suam debebat. Eveniebat nimirum, ut Mater ipsius, quæ primo post illius à Patria discessum anno 1683. Viro Nobilissimo, Ampliff. ac Prudentiss. DN. CHRISTIANO Kneesebecken / Senatori Civitatis hujus & Camerario primario, quoad vixit de bono publico pereximiè merito, iterum nupserat, in gravem atque tenacem morbum incideret: ideoque reditum dilectissimi sui Filii crebrioribus literis instanter urgeret. Quibus permotus Beatus Vir, ne desiderio dulcissimæ Genitricis refragari videretur, propositum suum mutare habuit, Daniæque, haud tamen sine revertendi intentione, vale dicto, post integri decennii absentiam, Anno 1692. currente mense Majo, Patriæ Suisque redditus tandem salvus incolumisque fuit. Quò autem agnosceret, destinatum se officiis Patriæ præstandis esse, factum est, ut mox insequente ipsius illius anni Augusto mense Cassæ Civitatis Adjunctus, nullâ tunc aliâ functione vacante, abs Amplissimo urbis Senatu constitueretur. Quod munus eâ cum alacritate ac promptitudine exsequutus est, ut intelligerent Senatus populusque Rostochienses, non frustra hunc suum civem per tot annorum decursum domo abfuisse, sed magnum acquisivisse experientiæ prudentiæque robur: unde & gravioribus negotiis admovendus majorique honore, proximâ quâvis occasione conferendo, dignissimus fuit judicatus. Persectis his providentiæ directionisque divinæ indiciis satis apertis, tantò facilius necessitudinis suæ consiliis ac suasionibus, ut domum heic constitueret, locum reliquit. Quapropter in Civium Rostochianorum matriculam, præstitis præstandis, recipi petiit, certâ spe fretus, majorem sibi charissimæ Patriæ inserviendi olim occasionem datum iri. Neque frustrata eum sua spes est, sed non solum Año 1699. templo apud nos primario, B. Virginii Deiparæ abs prædecessoribus consecrato, Præfectus datus fuit, cujus commodum, quantum ipsius in viribus erat, quæsivit omni tempore & procuravit; sed & insequente mox anno, elapso seculo XVII. finem imponente, MDCC. in locum beate defuncti, præstantissimi Viri, DN. MARTINI NIEMANNI, prædictæ jam Civitatis Cassæ, præviâ Senatus Amplissimi consultatione atque electione, Secretarius constitutus. Quæ munia ut ut non infimæ conditionis inter civica sint, nec facile committenda, nisi quorum persecta fides atque prudentia est; dotibus tamen Wetkenianis hæctenus imparia prudenti Patrum Conscriptorum judicio æstimabantur. Nam ad majora eundem gravioraque natum esse factumque, unanimi omnium consensu judicabatur. Cum igitur Anno hujus Seculi tertio Senatorium corpus, membris nonnullis deficientibus

ficientibus redintegrandum esset, præ aliis WETKENIUS, cuius erga Civitatem fides, maturum in consiliis ferendis Judicium, in rebus gerendis prudentia & commissis negotiis expediendis dexteritas cognita omnibus & perspecta erant, in ipsum ex merito cooptabatur. Et sanè videri poterat hæc dignitas natalium quasi jure ipsi deberi, utpote sanguinem ex Familiâ Senatoriâ trahenti, dum inter Avos suos, præter tres Jurium Doctores, tres Consules, qui & ipsi in Senatorio antea ordine fuerant, & præter eos, connumerato Genitore, sex Senatores numeravit. Quali autem modo in hoc officio se gesserit, dum publico omnium in conspectu in eodem versatus fuit, deprædicare supervacaneum foret. Certè, nil magis ipsi curæ fuisse, quam ut bonum publicum consiliis suis operâque promoveret, viresque ac dotes in Civium impenderet salutem, universa urbs ore uno fatetur, ipsique testantur Curiæ parietes. Nobis verò à Publicis ad Domestica Viri Beati transeundum nunc erit. Postquam, ceu supra relatum, de propriâ sibi domo constituenda consilium ceperat, mox de idoneo sibi adiutorio quærendo sollicitus fuit, idque, DEO, cuius directionem in arduo isthoc negotio votis ardentibus imploraverat, sic providente, in Lectissimâ multoque virtutum decore conspicuâ tunc Virgine, nunc lacrymis atque mœrore merfa relicta Viduâ, CATHARINA MARGARETHA Stinten/ Spectatissimi Viri, B. WOLHARDI Stinten/ Primarii Civis Rostochiensis ac Zythopeptæ, ut & Honestissimæ Matronæ, CATHARINÆ Stegemann/ Filiâ, Consulis quondam de hac ipsâ Civitate maximè meriti B. WOLHARDI Stinten/ Nepte, invenit. Sponsalibus igitur legitimè celebratis, eam ipsam interveniente sacerdotali benedictione An. 1693. d. 26. Sept. jugali fœdere sibi jungi curavit, quacum & matrimonium concors, tranquillum, suave, fœcundum variisq; modis à DEO beatum in tertium supra vigesimum annum transegit. Proles, quam eo in conjugio ex Coniuge jucundissima suscepit, hæc est. I. Fœmina Nobiliss & sexum suum decentium virtutum decore exornatiss. MARGARETHA CATHARINA, Anno 1695. d. 8. Junii mundum ingressa, quam superioris Anni die 8. Octobris, Viro Nobiliss. Præcellentiss. atque Præ Clarissimo, DN. ERHARDO SPRENGELIO, Phil. Mag. & Scholæ Senatoriæ Rectori præclarè merito, in matrimonium datam lubens lætusque vidit. II. ANNA SOPHIA, An. 1698. d. 4. Julii à Cælo data, sed illi trium post trimestrium spatium restituta. III. Virgo Lectissima, in qua fulgentes emicant virtutum eximiarum radii, JOHANNA SOPHIA, edita in lucem. An. 1701. d. 27. Augusti. IV. Filius unicus optimæque indolis, An. 1704. d. 4. Novembr. mundo datus, HERMAN-

C

NUS

NUS WOLHARDUS; qui, sicut egregiam de se nobis spem præbet, ita in Patriæ commodum excrescat Majorumq; suorum gloriam altius provehat, optamus atq; vovemus.

Reliquam **B. WETKENII** vitam quod attinet, non erit de illa ut multis dicatur, cum pleraqve inter omnes nota sint satis superqve. Pietatem namqve ipsius, qua DEO ac Salvatori suo constanter adhæsit, cuncti magni fecerunt. Sinceritatem erga amicos & familiares singuli æstimarunt, humanitatem omnes laudarunt, & quis non eruditionem ipsius & erga literas amorem admiratus fuit? Quantumvis enim publicis admotus officiis, variis implicitus negotiis esset, ne tiquam tamen à Studiis literarum abstrahi se passus fuit, quin adeò tenaciter illis adhæserit, ut quicquid temporis ab officii negotiis supererat, optimorum librorum impenderet lectioni: unde ceteris, quos mœnia nostra complectuntur, doctis Viris illius conversatio pergrata semper exstitit. Cum primis Studii Historici, unde non contemnendum prudentiæ augmentum sperari potest, amœnitate delectabatur. Et cum turpe duceret, civem bonum velut hospitem in Patria vivere, Historiam Mecklenburgicam præsertim excolere studuit, quâ in varia congestit, cum tempore, si DEUS vitam ipsi prolongasset, publicanda, quæ ut in lucem vel nunc protrahantur, tantò magis optandum foret, quantò majori Historicorum domesticorum inopiâ Patria nostra laborat. Corpore Vir Beatus minimè robusto semper usus fuit, ac præsertim calculi doloribus interdum obnoxium, à quibus tamen Excellentissimi Medici, infra laudandi, operâ curâque aliquando liberabatur, eo felici successu, ut per octennium ferè nihil ab illis senserit incommodi. Ast anno superiori ægritudo quædam ipsum occupaverat, ab eoqve tempore inde de pejori corporis statu continuas ferè querelas effudit, donec, appropinquante Dominicæ Resurrectionis Festo, in febrim incideret. Quæ licet depulsa feliciter esset, residuus tamen in corporis membris æstus eum in modum vires debilitaverat, ut initio restitutionis domi suæ se continere oportuerit ipsum. Interim pio ducebatur sacrâ Cœna Dominicâ fruendi desiderio: quapropter Confessionarium suum, Summè Rever. atqve Amplissimum DN. JOH. SENSTIUM, S. S. Theol. D. Celebrerrimum, ad ædem D. Virginis Archi-Diaconum, & Cœnobii ad S. Crucem Pastorem, utrinq; meritissimum, Fautorem nostrum & in Christo Fratrem acceptissimum, ad se vocari curabat, quò ministrante, illo ipso, quo memoriam mortis Salvatoris nostri Ecclesia publicè recolit, die salutifero corporis ac sanguinis Christi cibo & potu refocillata illius anima est. Postea, cum vires aliquantulum reparatas arbitrabatur, d. 28. Aprilis publicis com-

precatio-

precationibus interfuturus templum Marianum accessit, inde verò ad ædes suas repedantem tum aëris inclementia circumstabat, tum nescio quis subitus terror occupabat, ut fores ædium vix ingressus tantum non omnes, quæ modo exiguæ supererant, corporis vires animadverteret prostratas atque collapsas. Et quanquam interdum à lecto se separaret, tantum tamen abest, ut medelam malo extirpando inveniret, ut potius ipsum singulis pene momentis ingravescere deprehenderetur, adeò ut secundo currentis mensis die lethiferum ingredi lectum eummet oportuerit. Historiam morbi optimum hunc Senatorem publico bono eripientis accuratius descriptam dedit Vir Præ-Nobiliss. Excellentiss. & Expertissimus, DN. GEORG. DETHARDINGIUS, Med. D. & P. P. Famigeratissimus, Fautor, Amicus atque Collega noster ætumatissimus, cujus ipsius verba heic inferemus. *Varius, inquit ille, Morborum generibus Prudentissimus, nunc desideratissimus hic VIR fuit per omnem vitam obnoxius. Exercuerunt Animum suum non modo varii casus tristes sed & corpus cruciarunt nunc Quartana, nunc Calculus, nunc Arthritis fixa, nunc Affectus anginosi, ut hinc perquam facile fuerit vel Animi pathematibus vel Aëris injuriis Afflicto afflictionem addere. Ha ab octo circiter septimanis Tertianam induxerunt astu præsertim gravem, sed quæ medicamentis satis facile cessit, ut foras prodire & templum repetere commode illi licuerit: Ista, dum terror gravis mentem subito perculerat, Peripnevmoniam intulerunt, Erysipelaceam Pulmonum febrim, sed quæ per expectorationem, sputo flavo cum levamine prodeunte, non minimam faciebat reconvalescendi spem, quando anginosa Faucium præclusio & sputo prodituro & potui deglutiendo & medicamentis propinandis omnem aditum negando illam iterum prostravit & Virum, longiori vita dignum, Coniugi, Liberis, Genero, Propinquis, Amicis, Urbi non sine mærore subduxit. Vidistis igitur, Cives Honoratissimi! quæ, post DEUM, obitum B. WETKENIO attulerint, causas: quomodo verò ad emigrandum se præparaverit, paucis edifferendum erit. Quemadmodum per omnem vitam pietatis laudem habuit; ita nec ea defecit in lethaliter decumbente, qui mortis meditationi totum se dabat. Cum d. 10. Maji, quæ Dominica erat Cantate, vivendi finem instare opinabatur, mox matutino tempore, antequam publica Sacra inchoarentur, laudatum ante Confessionarium suum accersitum voluit, qui non eo duntaxat temporis puncto, sed & peractis in templo Sacris, vesperâ ingruente, eundem visitatum saluberrimis colloquiis cumulatisque Scripturæ dictis statui ejus accommodis recreavit. Etsi interea temporis vehementia morbi aliquantisper debilitata videretur, mox tamen vires resumpsit, præsertim mensis hujus 16. die.*

Quo audito ; iterum iterumque advolabat Confessionarius ejus,
 & quanquam antemeridianis horis fidus eidem adstitisset, nihi-
 lominus circa horam vespertinam sextam vocatus redibat, mul-
 tas cum eo de morte beatâ egregias meditationes communicans,
 precumque formulas proponens, in quibus B. sequutus est præ-
 euntem. Cum inter alia allegaretur Paulinum illud ex 2. Tim.
IV. 7-8. Certamen bonum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi,
quod superest, reposita est mihi justitiæ corona &c. verba hæc, lan-
 guidâ quamvis voce, repetita sibi sic applicavit, ut fiduci-
 am suam in Christum Salvatorem ac â bonitate divinâ vi-
 tam meliorem accipiendi spem manifestaret. Tandem, cum
 ultimam ipsi benedictionem DN. D. SENSTIUS impertitus
 erat, circa horam 10. inter adstantium Suorum lacrymas pre-
 cesque DEO, vitæ Auctori mortisque Domino, animam placi-
 de reddidit, posteaquam inter mortales vivendo absolverat an-
 nos 53. menses 9. & 8. dies. Ipsi quidem hanc, quâ nunc
 æternum fruitur, felicitatem gratulamur. Relictæ autem Vi-
 duæ unâ cum reliquâ Honoratissimâ Familiâ, hunc casum ac-
 cerbissimè lugentibus, cœleste apprecamur Spiritus S. solatium.
 Sit DEUS Viduæ mariti, Orphanis patris loco, supraque
 domum WETKENIANAM suam effundat magnâ mensurâ
 benedictionem. Consulat ipse difficillimis hilce temporibus
 universæ Patriæ nostræ & huic Civitati, Musarum sedi, Curia-
 que WETKENIO similem præficiat, ac faxit, pax & justi-
 tia intra mœnia nostra vigeant, floreat, regnent. Hæc OPTIMI
 CIVES! DEUM precemur, quando exuvias Viri Beati in dormi-
 torium suum, quod est in æde Mariana, hodie deportandas
 comitabimur. Nullus namque dubito, quin istud extremum
 humanitatis ac Christiani amoris officium præstantissimis
 Viri virtutibus, insigni erga Musas nostras favori,
 eximiisq; meritis exhibituri sitis.


P.P. Rostochii sub Sigillo Academiæ
 Anno MDCCXVI. d. 27. Maji.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



LBMV Schwerin 33
000 184 241





redintegrandum esset, præ aliis WETKENIUS, cuius
 civitatem fides, maturum in consiliis ferendis Judici-
 ebis gerendis prudentia & commissis negotiis expedi-
 teritas cognita omnibus & perspecta erant, in ipsum
 cooptabatur. Et sanè videri poterat hæc dignitas
 quasi jure ipsi deberi, utpote sanguinem ex Familiâ
 trahenti, dum inter Avos suos, præter tres Juri-
 ores, tres Consules, qui & ipsi in Senatorio antea
 rant, & præter eos, connumerato Genitore, sex Sen-
 numeravit. Quali autem modo in hoc officio se-
 dum publico omnium in conspectu in eodem ver-
 , deprædicare supervacaneum foret. Certè, nil ma-
 ræ fuisse, quam ut bonum publicum consiliis suis o-
 romoveret, viresque ac dotes in Civium impende-
 m, universa urbs ore uno fatetur, ipsique testantur
 ietes. Nobis verò à Publicis ad Domestica Viri Bea-
 dum nunc erit. Postquam, ceu supra relatam,
 sibi domo constituenda consilium ceperat, mox de
 quærendo sollicitus fuit, idque, DEO, cu-
 duo isthoc negotio votis ardentibus imple-
 te, in Lectissimâ multoque virtutum de-
 irgine, nunc lacrymis atque mœrore mer-
 THARINA MARGARETHA Stinten/
 WOLHARDI Stinten/Primarii Civis Ro-
 tæ, ut & Honestissimæ Matronæ, CATHA-
 / Filiâ, Consulis quondam de hac ipsâ
 ti B WOLHARDI Stinten/ Nepte, invenit.
 itimè celebratis, eam ipsam interveniente
 e Añ. 1693. d. 26. Sept. jugali fœdere sibi jungi
 atrimonium concors, tranquillum, suave,
 odis à DEO beatum in tertium supra vige-
 git. Proles, quam eo in conjugio ex-
 suscepit, hæc est. I. Fœmina Nobiliss-
 ium virtutum decore exornatiss. MAR-
 ARINA, Anno 1695. d. 8. Junii mun-
 n superioris Anni die 8. Octobris, Viro
 atque Præ Clarissimo, DN. ERHARDO
 il. Mag. & Scholæ Senatoriæ Rectori
 matrimonium datam lubens lætusque
 OPHIA, An. 1698. d. 4. Julii à Cælo
 ost trimestrium spatium restituta. III.
 qua fulgentes emicant virtutum eximi-
 IANNA SOPHIA, edita in lucem.
 ti. IV. Filius unicus optimæque in-
 t. Novembr. mundo datus, HERMAN-
 NUS

